



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Apollonia. V. M. 9. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

8. Feb. **VITÆ SANCTORUM.** 101  
etiam scelus potuisset eluere, unà cum  
filio inter claustra recipitur. Mox mori-  
tur **MARINUS** & **MARINA** depre-  
henditur. Adest mendax puella à malo  
hospite orco agitata, & scelus ultrò fa-  
tetur. Quid faceret hîc cælum, post a-  
ctam bellissimè fabulam, nisi plausum?  
*Ex Herib. Rosweido.*

*Conscientia bona titulus est Religio-  
nis. Templum Salomonis, Ager benedi-  
ctionis, hortus deliciarum, aureum re-  
clinatorium, gaudium Angelorum, arca  
Fœderis, thesaurus regis, arca Dei,  
habitaculum Spiritus S. liber signatus &  
clausus, & in die iudicii aperiendus.  
S. Bern. l. de int. dom.*

**S. APOLONIA. V. M. 9. Februarij.**

**N**Ecdum in flammis eruperat furor  
Decianus, cum anno ab incunabulis  
Servatoris L. supra C C. Decio prælusit  
Alexandriæ nescio cuius hominis insa-  
nia. Arrogavit ille sibi Vatis nomen,  
& fictis ad populum criminibus id re-  
pentè excitavit incendium, quod non  
nisi multo Christianorum sanguine ex-  
tingueretur; quos inter facilè princeps  
fuit **APOLONIA** Virgo, quæ inva-  
lescente vulgi furore, cum jam tota  
urbe eadem omnium vox audiretur,  
flammis addicendum, quisquis Christo  
non maledixisset, in virtutis scenam

G 3

pro-



102 VITÆ SANCTORUM. 9. Feb.  
protracta est. Et sanè præclarè personam  
sustinuit Christianam, quippe cui ore ci-  
tius omnes, quibus ætas provecta in eun-  
diem pepercerat, dentes, quàm Christus  
evulsi. Quid agitis manus carnificum  
fortem esse APOLLONIAM excussis  
dentes, & fractæ malæ loquuntur; ad  
majora tormenta provocate, nihil hu-  
mile tam alta spondent principia. Ecce  
rogus ingens succenditur, crepant flam-  
mæ, furit populos, minantur lictores aut  
Christum abjice, aut in ignem abjiciere  
APOLLONIA. Quid hic illa? paulu-  
lum apud animum suum, quasi consul-  
tans, subsistit, mox bulliente jam sanctio-  
re sub præcordiis igne, non morata tor-  
tores, generoso ausu ipsa involat in flam-  
mas, è flammis ad cælum evolat. I. nunc  
Scævola fortissime Romuli nepotum;  
Manus tuæ miraculum rogos hujus vir-  
ginis extinxit. *Ex Surio.*

*Si quis hoc dictum corde frequentaret,  
O Domine quando te diligam! citius se  
sentiret experimentaliter inflammari, quàm  
si de secretissimis celestibus, & æterna ge-  
neratione, vel processione millies cogitaret.*  
S. Bonavent. in Theol. Myst. Q. ult.

S. ANSBERTUS EPISC. 9. Februarij.

**N**on vidit splendidiorem gemmam  
Clotarii regia, quàm ANSBERTUM  
adulescentem Superis juxtà & homini-  
bus